

Oratoris officium est in ea quaestione, quae versatur in negotiis civili- 373 H.  
bus, posse probabili et apta ad persuadendum oratione uti. sunt autem ea  
demum civilia negotia, quae nulla arte propria continentur, ut geome-  
tricae et musicae et ceterarum huiusmodi scientiarum, sed earum rerum  
5 tractatum habent, quae perficiuntur ex opinione communi aut legibus  
aut moribus, et de quibus omnes, qui aliquatenus intellectum aliquem re-  
cipiunt, et dicere et iudicare possint. omnes enim fere et accusare alium  
et purgare se ipsos possunt et de aequo et utili disputare videntur sibi  
posse. sed hoc alii natura tantum sine ulla observatione aut exercitatione  
10 faciunt, sicut ferire alterum et tueri se ipsum etiam qui armis facere non  
didicit aliquo modo potest; naturales enim motus, quemadmodum corpo-  
ris, ita et animi sunt, quibus et alium insectari et pro nobis pugnare possu-  
mus: alii autem usu et exercitatione civilium rerum utilius et promptius  
utuntur oratione, unde factum est, ut quaedam observationes nasceren-  
15 tur, quibus collectis et comprehensis esset quaedam disciplina dicendi.  
huius vis constat inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronun-